

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.

Band: - (1752)

Heft: 28

Artikel: Epistolae ineditae C.S. Curionis

Autor: Curio, C.S. / Caelius

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394728>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 24.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

EPISTOLÆ INEDITÆ

C. S. CURIONIS.

CÆL. S. C. Rodolpho BULLINGERO D. Heinrichi F.

S. P. D.

per Christum Jesum.

SI nihil parenti utriusque tuo, Rodolphe chariss.
deberem, tua tamen ista præclara indoles,
quam vestrorum sermonibus hic valde audio
commendari, meum animum excitare ac permo-
vere deberet, (soleo enim ipsis ætatulis atque inge-
niis ex animo favere) ut te diligenterem, tibi omnia
cuperem vellemque: ac quoad possem te literis
atque artibus ingenuis erudirem. Nunc, cum &
ego, & Uxor mea, & liberi denique nostri Patri
primum tuo, Viro clariss., deinde etiam Matri
tuæ, sœminæ honestissimæ, tantum debeamus,
quantum persolvere difficillimum esset: mihi puto
semper esse cogitandum, si quo modo vobis sal-
tem præstare aliquid possim, quod cum mei apud
vos animi testimonium sit; tum ad cultum eru-
ditionis (qua re, excepta pietate & religione, nihil
præstantius esse potest) vobis esse adjumento pos-
sit. Memini enim teneoque, & qua nos omnes
charitate domo atque hospitio exceperit vester uter-
que Parens, tunc quum ex Italia (agitur nunc
annus quintus) tanquam ex naufragio enataremus:
& quibus officiis abeentes fuerint prosecuti. At-
que etiam illud recordor, me ora vestra inspectas-
se, vestramque mecum tacitum indolem observasse

ac notasse : quæ jam tum spem dabat non ambi-
guam , vos aliquando parentibus vestris gaudium ,
patriæ isti vestræ præclaræ ornamenta , Ecclesiæ
Christi adjumenta allatueros esse. Itaque cum nec
domestica vobis desint exempla , nec præsidia
ea , quæ ad eximiam eruditionem bonasque arteis
assequendas requiruntur : cumque tempora ista , quæ
nullam ferre segnitiem aut inertiam possunt , vos
hortentur : ac quod omnium maxime vos exsus-
citare , aliosque omneis debet , tam clara voce
Pater ille cœlestis per Filium suum Jesum Christum
Dominum & Conservatorem nostrum , convocet:
turpissimum fuerit , vos non equis (quod aiunt)
velisque ad summa contendisse. Ad quod quidem
efficiendum , ut ipse quoque , Rodolphe suavissi-
me , (nam ad te cum loqui cœpisset , nescio quo
quasi æstu abreptus ad tuos etiam fratres meam
orationem converti) aliquid conferrem , nostram
de omni artificio differendi Summam ad te superioribus
diebus mittebam ; verum is cui dederam , ut pa-
tris tui literis accepi , non reddidit , quod me
magna molestia affecit , cum propter hoc , tum
maxime propter quasdam literas , & alia quædam
gravia sane & valde necessaria , quæ ei in Italiam
ferenda credideram. Sed o homines infidos , o
tempora periculosa ! Igitur , quoniam ille fefellit ,
denuo alterum ad te ejus generis libellum mitto :
quo adjutus (ut mea opinio fert) ad eam quam
tibi proposuisti studiorum tuorum metam citius
poteris pervenire , nam ad Heinrychum fratrem
tuum antea misimus. Vale mi Rodolphe dulcis-
sime , & parentem utrumque tuum , una cum
fratribus , totaque domo , meo & uxoris , filio-
rumque meorum nomine saluta diligenter. Basileæ
IX. Cal. Novembr. MDXLVII.

[CÆL.]

CÆL.SEC. CURIO Abrah. Musculo Sal. dicit
per Christum Jesum.

Fideliter mihi redditæ sunt superiores litteræ Tuæ
per Hervagium nostrum communem amicum,
& quas ad *Bernardinum* nostrum mittebas curavi
diligenter : Sed ad te per adversam valetudinem,
partim quod nuncii non occurserant, rescribere
non potui : Quin heic etiam tuæ me litteræ de-
cumbentem, nec tum bene valentem, offendere-
runt. Hodie autem tum quod meliuscule Dei
beneficio valeo, tum quod te valde responsum
optare video, nolui te diutius exspectare. Ita-
que securus sis: nam tuas una cum meis misi per
eumdem tabellarium Andtwerpianum ; deinde An-
dowerpiæ habeo, qui in Angliam curent diligenter.
Quod autem tuis litteris de Italiæ progressu
in Evangelii cognitione, referente *VERGERIO*,
scribebas, non est novum; nam indies magis ma-
gisque proficit Italia nostra: Non quod *Vergerii*
libelli (tibi hoc dictum volo) multum adferant
adjumenti; meliores enim longe vidit Italia, ex
quibus, Deo sic favente, spiritum hausit Salutis:
Sed proficit, quoniam tempus messis advenit.
Non sunt Vergerii scripta mala, sed levia, & de
quibusdam, de quibus & sœpissime dictum &
scriptum majore spiritu a vestrīs hominibus ; &
de quibusdam, de quibus etiamsi taceretur, nulla
fieret rei Christianæ jactura. Sed hæc, ut dixi,
tibi dicta volui. Dicis illum impetrasse a Domi-
nis, ut possit habitare Lausannæ, si minus per
pericula possit apud Rhœtos : Placet : Sed nescio
quæ sibi singat pericula, quæ nulla sunt : Nam
Augustinus MAINARDUS, Vir sapientissimus &

tota Italia celebratus , & qui in ipsa Italia toties cum hostibus confixit concionibus disputationibusque accerrimis , & saepe a Pontifice in ipsa Italia insidiis & artibus & vi appetitus , is , inquam , jam decem annos Clavennæ docet ; & illam ipse fundavit Ecclesiam , nec tamen unquam a quoquam ei vis illata est ; nec quicquam deterius est passus , quam a falsis Fratribus , qui illum in ipsa Ecclesia exagitarunt : A Romanensibus nihil . Sed VERGERIUS nondum prorsus mitram Rom . deposit , h . e . adhuc pollet curtisanis artibus , & res suas augere probe novit : idcirco si hæret multis in locis eodem tempore pedem cupit figere , quod ego & quidam alii & hic & alibi deprehendimus : Nam etiam in Anglia cupit pedem figere , vel saltem aliquot centurias aureorum corradere . Dominum precor , ut illi vel det , vel augeat Spiritum . Miror quid peregrinetur , cur non adeat suæ Ecclesiæ ? Cur , si ministerium suscepit illic apud Rhœtos , honesto etiam cum stipendio , non exercet ? habet enim CL aureos in singulos annos . Oremus Pastorem illum optimum Jesum Christum , ut illi det Pastoris Evangelici spiritum & mentem , ut illum loco uno stabiliat , ne more suo antiquo vagetur . Cuperem , mi optime Muscule , scire , quomodo ad vos redierit , quo comitatu : quid de comitibus suis , quos primum habuit , dicat : quid illum reliquerunt : Nam fama est illum solum Bernam remeasse . Id si ad me scripseris , gratum feceris . Quod scribis illum aliquamdiu Tiguri mansurum , id facile credo : nam propter pestilentiam , quam scit Curiæ & per illam regionem graffari , vix audebit redire . Neminem unquam vidi miserius formidare pestilentiam & fugere ,

re, quam Vergerius facit. An ad vos perlatum sit nescio. Certe Curiæ Minister uterque mortuus est, *Comander* videlicet & *Placius* (*Blasius.*) Hæc habui, mi Charissime Frater, quæ nunc scriberem. Novi nihil habeo, nisi Augustæ nondum cœpta esse comitia. PETRUS MARTYR noster, qui Oxoniæ in Anglia Sacras Litteras explicat, edit suam de Eucharistia Disputationem, quæ publice habita est: an eam adhuc vides ignoror. Vale, mi amantissime & sanctissime Muscule, & Deum pro nobis ora. Saluta domesticam Ecclesiam & *Abrahamum* tuum meo & *Horatii* nostri nomine: Quod si quid præterea me tua causa curare velis, manda. Iterum Vale. Basileæ d. 1. Augusti. MDL. Saluta quæso D. *Hallerum.*

Tuus

Cælius S. C.



Ad D. CÆLIUM SECUNDUM.

SAlut. D. Literas tuas, doctissime Cœli recepi, generumque tuum, mihi semper colendissimum Fratrem una cum Uxore Filia tua familiæ meæ commendavi, quæ tota prope Badæ lavat. Oro Dominum ut hoc illis sit fœlix & faustum. Cæterum ab edito Libro tuo de (*) *Amplitudine*

L 1 4

Gratiæ

(*) Hujus Libri historiam texuit Clariss. SCHELHORNIUS in *Amœn. Litt.* Tom. XII. N°. V. Juvat autem h. l. subjungere Judicium Clariss. Viri

Gratiæ Dei, optavi non semel quod optimis & amantissimis tui Fratribus obsecutus fuisses, nec edidisses Librum, quem audiebas non per omnia probari

Viri D. GERDEII, Theologi Groning. de tota hac tractatione, quod extat in *Florilegio Libr. rariorum* p. 80. seqq. „ *In his Dialogis longe „ majorem esse electorum quam reproborum numerum „ variis argumentis evincere conatus est, ita „ tamen, ut, cum insignem atque maxime „ notabilem orbis, ac Judæorum in primis ad „ Christum ante extremum mundi diem conver- „ versionem exspectandam inculcat, universalis „ quoque Gratiæ patronus ea propter haberi nul- „ lo modo possit, sitque adeo P. BÆLII ad vocem „ CURIONIS nota supervacanea proorsus. Quasi „ vero non liceret Gratiæ divinæ Amplitudinem „ explicare erga plures, aut Regni Dei gloriosi ter- „ minos longe lateque extendere, vel ipsa præ- „ eunte Scriptura, quæ sane *non paucos* Regni „ Dei Hæredes nobis proponi, &, sicubi in „ relatione ad perituros tanquam paucos eos „ repræsentat, ita intelligi debet, ut ad certa „ præcise tempora id referatur: Cum cetero- „ qui spes nobis in Verbo Prophetico sit fa- „ cta, quod aliquando *tota terra gloria Jehovæ* „ sit implenda, in ultimis nempe Ecclesiæ Secu- „ lis, quando sane Electorum non adeo angu- „ stum expectamus numerum. Ne jam in „ messem philosophicam de Creaturis cœlestes „ globos forte incolentibus innumeris, laudum „ Dei ebuccinatoribus, falcem nostram immi- „ tamus.*

probati piis & non indoctis Fratribus: Nunc vero editum magis atque magis doleo, multas quidem ob causas, cum vel hoc etiam nomine, quod intelligo illum displicere pluribus. Nuper scribebat ad me Vir tui studiosus, doctus & pius: Miror circumferri Librum Cœli nostri veluti excusus sit Basileæ, cum nonnulli certo affirment impressum esse (*) Pusclavi. Quid diceret senatus am-

L 1 5

pliss.

(*) *Pusclavii*] In judicio Censorum Basileens. de hoc Curionis Libro, quod exhibet Clariss. SCHELHORNIUS noster Amæn. Litt. Tom. XII. p. 617. ipsa Cœli Sec. Confessio de loco impressionis his verbis repræsentatur: *Als sein Sun Horatius über das Pirg kommen gen Puselanen in der Pündtner Land, da seye das Büchli bey ihm gesehen und in Truck geben worden.* Ubi amiciss. Schelhornius ad locum illum corrupte scriptum hæc annotavit: *Hunc quidem locum ego hacenus in Geographiis & Descriptionibus Rhætiæ, quæ mihi ad manus sunt, frustra quæsivi.* Lege pro *Puselanen*, *Pusclavium*, *gen Pusclaven*: & res omnis erit expedita. Hic error Librarii mihi in mentem revocat ridiculum Descriptoris errorem, quem nuper aliud agens detexi in quadam Francisci LAMBERTI ad Bucerum epistola, quæ in Centuria Epist. N°. XV. pag. 70. extat: ubi pag. 72. ita legitur: *Ego quidem cum vestram norim constantiam, experiarque in MARPURGO, quanta sit hujus sensus, imo veritatis Suavitas, quantaque certitudo ejusdem eruditis ADMODUM, nihil talium credi-*

dū.

pliss. Basiliensis si intelligeret, Librum quasi ab ipsis impressum oberrare, quem Viri docti & pii apud ipsos non probarunt per omnia? Aliunde quoque intellexi eundem Librum nescio a quo obtrusum Principi Illustriss. Wirtembergensi, qui protinus veluti malum judicarit & abjecerit. Audio & BRENTIUM improbare, hoc potissimum nomine, quod videaris (*) extra & citra Christum plus nimium tribuere Legi Naturæ. Hæc ideo commemoro, ut post hac admonitiones Fratrum plus apud te ponderis habeant. Ad me scribitur quidem, cur non admoneamus te, ne forte adversum aliquid tibi eveniat: Sed ignorant te esse admonitum, sed maluisse te edere. Quanquam vero non dubitem ista te accepisse etiam ab aliis tuis amicis, nolui tamen ea quæ ad me perlata sunt dissimulare, non in alium finem, quam ne posthac malis tibi ipsi morem gerere,
quam

di. Quum ad fidem Autographi legendum omnino fuerit, quod etiam ratio suadet: Ego quidem, cum vestram norim constantiam, experiarque in ME IPSO quanta sit hujus Sensus imo veritatis Suavitas, quantaque certitudo ejusdem eruditis A DOMINO, nihil credidi.

(*) Hæc ipsa deinceps Curioni a P. VERGERIO mota est acris controversia: Ad quam quid responderit Curio, & quomodo omnem Heterodoxæ suspicionem longe a se fuerit amatissimus, ex dupli cognoscitur Apologia, quam Cl. SCHELHORNIUS Amæn. Litt. Tom. XII. inseruit.

quam tui amantibus Fratribus obtemperare. Boni
consulis hæc, sat scio. Vides enim amico pro-
fecta esse pectore. Vale cum tota domo Tua.
Tiguri Calend. Maii. An. 1556. Vocatur in locum
demortui D. *Pellicani* Clariss. Vir D. *Petrus Martyr*.
Dominus benedicat nobis.

BULLINGERUS tuus.

* * *

C. S. C.

Domine, Tuæ me Litteræ Domine & Frater
observande vehementer recrearunt, quod ex
eis cognovi, Te per Dei gratiam pristinæ valetudi-
ni restitutum. Gratum etiam fuit, quod de tua
ætate, quæ nihil fere abest a mea, mihi prescrip-
sisti: Deum oro, ut eam ad sui sancti Nominis
gloriam & Ecclesiæ Salutem (nam talibus hoc
tempore in tanta rerum omnium perturbatione
opus est) diutissime tueatur. De negotio quod
egisti, nobis omnibus gratissimum fuit: itaque
tibi ago pro omnibus gratias quantas possum ma-
ximas: & gaudeo pios homines sensisse meam
commendationem apud Te, ut nec RAMI nostri
apud Clariſſ. Virum D. *Rod. GUALTHERUM*,
haud leve pondus habuisse. Quid autem Bernæ
post sit actum non dubito a D. *HALLERO* te cer-
tiorem esse factum. Evidenter discrucior cum vi-
deo quosdam homines eosque primas in Ecclesia
tenentes, id unum studere ut Zuinglii atque Oe-
colampadii sanctam memoriam oblivione obruant
sempiterna. Verum enimvero, ut tu recte scribis,
Dominus brevi pastores fraudulentos disperdet.

Conan

Conandum tamen iis qui autoritate in Ecclesia
pollent, uti eorum artibus obviam eatur. Sed
de his sapienti satis. Petrum RAMUM Virum tum
pietate tum eruditione præstantem, quem tam
officiose salutari jubebas, vides, cuius congres-
sum tibi jucundissimum fore non dubito: a quo,
utpote nostrorum hominum jam peritissimo mul-
ta audies, quæ scire operæ pretium fuerit. Ita-
que plura non addam. Vale mi colendissime Do-
mine & Frater longe carissime, cum tuis omni-
bus, quos vere amo, quibusque omnia felicia a
Domino precor. Hic die VI. Augusti hora quar-
ta & sesqui matutina Terræ concussionem sensi-
mus, quæ etsi causas habet naturales, vereor ta-
men ne quid portendat: quod quidem precan-
dum est, ut Deus in suam gloriam vertat. Vale
mi Patrone colendiss. & Frater amantissime: quod
si ad me rescriperis, quod quidem tuo commo-
do fiat, vide ut nobis literæ fideliter reddantur:
Simulque significabis an meum epistolium repente
exaratum, quo tibi de Eblingeri Mulhusani Pasto-
ris interitu significabam acceperis: quod per quen-
dam vestratem paganum Ministrum misi. Iterum
vale. Basileæ die XXII. Aug. MDLXIX.

C. S. Curio
ex animo tuus.

Clarissimo Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti Dn. HEN-
RICO BULLINGERO Fratri colendissimo.


Cæl.

Cæl. Sec. Curio S. per Christum Jesum.

NON sumam mihi nunc ea tibi , optime ac ve-
nerande Frater & Domine , describenda , quæ
proximis diebus a certis hominibus adversus recte
sentientes , vestra quoque Ecclesia & Schola nota-
ta , acta concionibus etiam plusquam tribunitiis ,
eorum certe persona indignis agitata sunt : Sed
eadem commodius ab eo , qui tibi hasce literas
reddidit , tibi notissimo , qui ejus rei gratia ad te
mittitur , audies . Nunc igitur nihil aliud faciam ,
quam ut te rogem , eius orationi eam fidem ha-
beas , quam omnibus bonis , qui in hac civitate
vobiscum sentimus , effes habiturus : eique in iis ,
quæ abs te petet (nihil autem petet , quod ex
Dei gloria & bonorum usu non sit) adesse velis :
ne hypocrisis veritatem , tenebræ lucem , mali-
tia bonitatem , eludere , obscurare , corrumpere
atque impedire , quod omnibus modis studet , pos-
sit . Horum autem omnium una cautio est , ea-
que summopere necessaria , uti cum paucis iisque
fidissimis communicentur , ne cui vulgata obsint
atque impedianter . Me vero eodem animo erga
te esse scito Senem , qui olim juvenis fui , cum
primum ex Italia tanquam ex naufragio abs Te
accepti & recreati sumus . Tunc enim annum age-
bam quadragesimum , nunc sextum & sexagesi-
mum , breve quidem si temporis velocitatem :
longum si a patria illa cœlesti , ad quam pia fides
anhelat , exilium , & quibus exerciti sumus malis ,
spectare velimus . Tua vero ætas cariss. Frater , quam
longe absit a mea , quoque modo Senectutem istam
tuam laudatissimam feras , scire aveo . Nam quod
nosterorum carissimorum funera attinet , pares
fere

fere videamur: nisi quod mihi Deus Conjugem
amantissimam servavit, & ut servet precor: Tuam
pietate præstantem transtulit. Oremus Patrem
illum cœlestem, ejusque sempiternum Filium, ut
nostris misereatur, reliquiasque conservet nostras:
ut cum hora venerit, ut nobis quoque ex hoc
fragili tabernaculo emigrandum sit, volentes at-
que læti vitæ Autori pareamus. Vale mi Domi-
ne & Frater semper colende cum tuis omnibus.
Basileæ XXIII. Julii MDLXIX.

Clarissimo Viro D. HENRICO BULLINGE-
RO, Ecclesiæ Tigurinæ Antistiti meritissimo
Domino & Fratri colendissimo.



CHRI-